357
355
361
351
366
346
406
306
456
256
Ende
Anfang

corum contemnere coeperunt et sine praefectorum coactione per se a legibus Christianae religionis recesserunt, nec amplius celebritates ecclesiae nec jejunia nec sacramenta nec missas curaverunt, pigri et involuntarii facti ad omnia Christianorum exercitia. Nihilo tamen minus gerebant se et adhuc hodie gerunt se pro Christianis, nomen quidem habentes sed pietatem abnegantes, per illum enim modum augmentata est secta Machumetana et potestas Turcorum, nam dum incepissent Turci persequi Christianos et terras eorum invadere, multi Christiani volentes declinare persecutionem se ipsos eis sponte tradiderunt. Hoc patet, quia adhuc hodie multa castella et oppida sunt in Turcia de illis antiquis Graecis sub dominio Turci, qui se sponte tradiderunt, sicque intactae (b) manserunt eorum habitationes, unde factum est, ut ipsi Christiani Turcis auxilio fierent ad persequendum alios Christianos et proditores fratrum efficerentur. Et sic eorum culpa coepit crescere propter censuras ecclesiasticas, quas non curabant incurrere. Et quia ipsi Christiani erant, inceperunt sub quadam pietatis specie Christianis devictis parcere et eos in servos et ancillas retinere. Et videntes Turci, quod ex hoc Christiani ditarentur, conceperunt aviditatem possidendi servos et ancillas, et captos Christianos non occiderunt, sed vel in suam servitutem redegerunt vel vendiderunt. Illa ergo ficta Christianorum pietas in tantum excrevit, ut malitia Christianorum in persequendis caeteris Christianis excederet malitiam infidelium, et in hoc eorum magistri fuerunt et praelati. Et cum ecclesia contra eos censuras fulminaret, excusantes se dixerunt, quod ecclesiae plurimum prodessent, quia, quos Turci occidissent gladio, ipsorum pietate viverent, et ex hoc se contra ecclesiam erexerunt dicentes, ecclesiam injusta judicia ferre et censuras inanes esse, sicque tandem Turcis traditi sunt, et facti Janizari, id est, abnegati Christiani, quos Sarraceni Mamaluccos appellant. De his supra saepe mentio facta est in invectione contra Graecos.

Ex his patenter sequitur, quod saevior est illa persecutio, qua dimittuntur Christiani vivere, quam ea, qua perfide morte plectuntur. Quod est contra illos, qui sub quadam virtutis specie volunt Turcos advenire, dummodo non eos fidem negare cogeret, sed hoc ex vitio crescit inobedientiae, quia ecclesiae praelatis et Christianis principaliter obedire taedet.

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;